NON POTEST ESSE GENUINA SENSATIO SINE REALI SENSATO.

P. Reginaldus Garrigou-Lagrange O. P.
Professor in Pontificio Instituto Internationali « Angelicum ».

Clarissimus Pater Josephus Gredt in omnibus suis operibus semper defendit valorem realem experientiae externae et firmissime tenet, quod non potest esse genuina sensatio sine reali sensato, prout omnis cognitio proprie experimentalis distinguitur a cognitione non experimentali in quantum terminatur ad rem exsistentem seu actualiter praesentem; aliis verbis, non potest esse experientia sine re experta. Dicit P. J. Gredt in ultima editione sui operis *Elementa Philosophiae Aristotelico-Thomisticae*: [1] « Veritas cognitionis sensuum externorum expostulat, ut sensus externi immediate attingant obiecta tum secundum materiam et formam, tum *secundum praesentiam* transsubiectiva; ideo sensibus nostris omnibus cognoscimus obiecta transsubiectiva. Veritas cognitionis abstractae expostulat, ut intellectus immediate cognoscat obiecta secundum materiam suam transsubiectiva ». Haec doctrina ibidem longe explicatur, defenditur et videtur esse traditionalis sententia.

Recenter tamen opposita sententia proposita est in aliqua communicatione ultimi Congressus Thomistici sub titulo: « *De sensatione apud S. Thomam* ».[2] In hac communicatione dicitur:

« A plerisque Neo-scholasticis ita communiter exhibetur sensatio: supposita determinatione facultatis ope speciei, illud quod sentitur est obiectum in suo esse physico, *materiali*, et quidem illud quod immediate tangit nervum sensitivum..., quod postea, iteratis experientiis et successivis approximationibus, localizatur extra ubi vulgo creditur adesse. Addunt talem esse naturam sensationis ut haec omnino repugnet sine reali sensato tamquam termino materiali; esset enim sensatio sine obiecto seu nulla sensatio.

« Fateor me numquam potuisse intelligere sensationem ita explicatam propter sequentes rationes, quae si non male intellexi, prorsus excludunt notionem sensationis nuper recitatam.

1) ... Cognoscere, iuxta Angelicum, est *possidere aliquid immaterialiter*... Unde videre arborem vel audire sonum nihil aliud est, quam actu possidere speciem arboris vel soni; quamobrem qui, habita specie, adhuc quaerit cognitionem, quaerit quod iam possidet.

---

[1] Ed. 7a, 1937, T. II, p. 70.

[2] *Acta Secundi Congressus Thomistici Internationalis*. Romae 23-28 Nov. 1936. p. 145-148.

2) Sensatio, sicut omnis cognitio, est *actio immanens*, quae tota absolvitur intra sentientem. Terminus ergo quem involvit debet esse terminus intrinsecus immanens... Sensatio itaque non terminatur ad obiectum in esse physico materiali, sed ad obiectum in esse cognito, seu ad obiectum in specie, in repraesentatione; egredi enim de specie est egredi de immaterialitate ac proinde de ipsa cognitione...

Verum hic quaestio satis delicata consurgit: quaenam est species ad quam dicitur terminari sensatio? Intra Thomistas pacificum est Angelicum exludere speciem *expressam* a sensibus externis, saltem ut praeviam sensationi; non restat ergo nisi ut dicatur sensus attingere actu suum obiectum in specie *impressa,* quae a Cajetano dicitur: « idolum intermedium in quo obiectum videtur » (II de Anima, c. 10)...

Requiritur tamen praesentia physica obiecti ad *determinandam* seu causandam sensationem per emissionem speciei qua sensus immutetur; sed si emissa specie res pereat, sensatio nihilominus sequetur; non potest enim sensus non cognoscere semel recepta determinatione ad cognoscendum. Neque exinde sequitur contradictio de sensatione sine sensato reali ».

Auctor huiusce communicationis non videtur in memoria habere plures textus sancti Thomae statim citandos, nec satis agnoscere quod *sunt multi gradus in immanentia* ab intellectione divina usque ad actus vitales vitae vegetativae, ut pluries animadvertit Angelicus loquendo de ipso « sentire ».[3] Nec ibidem satis ostenditur in quo *cognitio experimentalis* differt a cognitione non experimentali, et *experientia externa* ab interna. Insuper si « sensus attingit actu suum obiectum in specie impressa », reflectitur supra seipsum sicut intellectus; imo si in sensatione species impressa gerit vices speciei expressae, quare non ita sit a fortiori in intellectione, nam ea quae sunt divisim in inferioribus, sunt unite in superioribus? Essent etiam plures aliae difficultates quae notandae sunt infra.[4]

---

[3] Cf. I q. 27 a. 5: « Sentire non totaliter est remotum a genere actionum, quae sunt ad extra; nam sentire perficitur per actionem sensibilis in sensum ». Immanentia dicitur non univoce, sed analogice, de operationibus divinis, de nostra intellectione, de sensatione, de actibus vitae vegetativae.

[4] P. Ed. Hugon. *Philosophia naturalis, Psychologia* p. 270-273, recte dicit: « Species impressa se habet sicut sentiendi principium. Atqui principium actionis non potest esse terminus illius. Ergo... Si sensus directe cognosceret actum suum suamque speciem, reflecteretur supra seipsum; revera impeditur ab organo. Ex sententia opposita paratur via ad scepticismum.

Insuper si praesens sit obiectum (ut sensatio sit cognitio vere experimentalis), ad ipsum obiectum terminatur sensatio et superfluit species expressa ».

* * *

Recenter etiam quidam alii in favorem sententiae iuxta quam potest dari sensatio sine reali sensato citaverunt hunc textum sancti Thomae, IIIª q. 76 a. 8: « Dupliciter contingit talis apparitio (in Eucharistia), qua quandoque in hoc sacramento miraculose videtur caro aut sanguis, aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione *ac si expresse viderent* exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte sacramenti... »

Qui citant hunc textum, non explicant, dum agitur de istis visionibus extraordinariis, in quo differt *visio corporalis* proprie dicta a *visione imaginaria*, quae est cum redundantia in sensibus externis, sed absque reali sensato; haec tamen classica divisio quae invenitur in omnibus tractatibus theologiae mysticae, philosophice explicanda est.

Momentum huiusce quaestionis.

Praesens problema non est minoris momenti. Contra thesim namque secundum quam dari potest sensatio sine reali sensato, statim in mente surgunt multae difficultates. 1) Tunc genuina sensatio non distingueretur sua propria natura ab hallucinatione, quae tamen, ut dicit Aristoteles, se habet ad veram sensationem, sicut echo ad sonum. 2) Pariter inter visiones extraordinarias, visio corporalis non essentialiter distingueretur a visione imaginaria. 3) Certitudo metaphysica de valore reali primorum principiorum contradictionis, causalitatis efficientis, finalitatis etc., quae formaliter resolvitur in eorum evidentia intellectuali, non posset amplius *materialiter resolvi* in reali sensato, quia posset esse genuina sensatio sine reali sensato. Tunc aperiretur via phaenomenismo rationali, sicut in doctrina Cartesii, ut recenter optime notavit Dominus Francesco Olgiati.[5] Unde sanctus Thomas non raro insistit in hac resolutione materiali, v. g. dum dicit, *De Veritate,* q. 12 a. 3 ad 2m: « Quia primum principium nostrae cognitionis est sensus, oportet ad sensum quodammodo resolvere omnia de quibus iudicamus. Unde philosophus dicit... in VI Ethic. c. 8. quod *sensus sunt extremi sicut intellectus principiorum,* extrema appellans illa, in quae fit resolutio iudicantis. » Cf. ibid. ad 3m.

---

[5] *La Filosofia di Descartes.* 1937. pp. v, 26, 66, 175, 176, 241, 323.

Quaerenda est igitur vera sententia Aristotelis et sancti Thomae; an scilicet pro eis sensatio (ut est *cognitio proprie experimentalis*, et experientia, non interna sed externa) importet *relationem transcendentalem* seu essentialem *ad reale sensatum*, scilicet ad obiectum realiter praesens (vel saltem ad realem eius influxum in organum animatum, ut in casu stellarum quae non sunt amplius praesentes, ubi videntur esse). Sensatio visionis non exit quidem ex oculo videntis sicut flatus vocis ex ore loquentis, sed habet relationem transcendentalem ad reale sensatum. Si enim species impressa (quae miro modo gereret vices speciei expressae) habet hanc relationem, quare ipsa sensatio eam non haberet.

Vera positio Aristotelis ut explicatur a sancto Thoma.

Aristoteles hac de re loquitur praesertim in libris *De Anima, De Sensu et Sensato, De Memoria et Reminiscentia.*

De Anima, l. II. c. 5., lect. X. sancti Thomae, ed. Pirotta n. 350: « *Sentire est quoddam pati* », sanctus Thomae sic explicat: « Est enim sensus in actu quaedam alteratio; quod autem alteratur, patitur et movetur. » Sic sentire est causaliter quoddam pati, quamvis formaliter sit actus vitalis cognoscitivus.

Ibidem l. II. c. 5., lect. XII, n. 375: « *Sensus non est cognoscitivus nisi praesentium* », sanctus Thomas: « Sentire enim non potest aliquis cum vult, quia sensibilia non habet in se, sed oportet quod adsint ei extra. » In hoc sentire differt ab intelligere et ab imaginari.

Ibidem l. II. c. 11., lect. XXIII, n. 547. Quod sentire est quoddam pati explicatur speciatim per respectum ad tactum et ad qualitates tangibiles corporum externorum.

Ibidem l. III. c. 2., lect. II, n. 590-594, circa haec verba Aristotelis: « *Si igitur est motus et actio et passio in eo quod agitur*, necesse est et *sonum* et *auditum*, qui secundum actum, *in eo quod est secundum potentiam esse. Activi enim et motivi actus in patiente fit... Unus quidem est actus sensibilis et sensitivi.* » Sanctus Thomas hoc sic explicat, n. 590 sq.: « Actus cuiuslibet sensus est unus et idem subiecto cum actu sensibilis, sed ratione non est unus... Cum potens audire habet suam operationem et potens sonare habet sonare, tunc simul fit *sonus secundum actum*, qui vocatur *sonatio*, et *auditus secundum actum*, qui vocatur *auditio*... Et sicut dictum est in l. III Phys. c. 3., quod *actio et passio sunt unus actus subiecto*, sed differunt ratione, prout actio signatur ut *ab agente*, passio autem ut *in patiente*,

ita dixit quod idem est actus sensibilis et sentientis subiecto, sed non ratione. Actus igitur sonativi vel soni est *sonatio*, auditivi autem actus est *auditio*... sed in quibusdam sensibilibus et sensitivis nominatus est uterque actus, et sensibilis, ut sonatio, et sensitivi, ut auditio. In quibusdam autem unum tantum nominatum est, scilicet actus sensitivi: Visio enim dicitur actus visus, sed actus coloris non est nominatus ».

Unde sicut non potest esse *auditio sine sonatione*, nec in aliis sensibus externis potest esse genuina sensatio (distincta ab hallucinatione) sine reali sensato.

Eadem doctrina invenitur in libro *De Sensu et Sensato* c. 1, lect. I, n. 11.: « Sensus secundum propriam rationem non est cognoscitivus nisi praesentium. » — Ibidem c. 1, lect. II, n. 19.: « Actio sensus fit in patiendo ».

Item in libro *De Memoria et Reminiscentia* c. 1, lect. I, n. 306.: « Ostendit Philosophus quod memoria non est praesentis; sed hoc pertinet ad sensum, per quem neque futurum neque praeteritum cognoscitur, sed tantummodo praesens ».

Actio igitur transitiva rei externae est in passo, seu terminative est in organo animato sentientis. Et ipsa sensatio terminatur ad rem sensatam quae in organum influit, vel ad influxum realem huiusce rei externae.

Positio sancti Thomae in suis propriis operibus.

Sanctus Thomas in suis propriis operibus semper tenet quod *sensatio non est nisi praesentium*, scil. nisi praesentis rei sensatae, et quamvis sit actus immanens, apprehendit rem externam prout ea in organum sensus influit.

In III Sent. dist. 14 a. 1 q. 2: Visus « patiendo a coloribus fit in actu et eis assimilatur... Sed quia sensus non sentit nisi apud praesentiam sensibilis, ideo ad eius operationem perfectam sufficit impressio sui activi per modum passionis tantum ». Sic non requiritur species expressa in sensatione, bene tamen in phantasia et in intellectione, quia obiectum eorum non est praesens aut non eis proportionatum.

Item in IV Sent. dist. 49 q. 3 a. 1 q^a^ 2: « Sensus enim non potest esse nisi praesentium: quamvis magis a longinquo possint sentire corpora gloriosa quam non gloriosa ».

Item in IV Sent. dist. 49 q. 3 a. 1 q^a^ 4: « Delectamur de praesentibus tantum, ideo etiam, quia sensus exterior non apprehendit rem nisi praesentem, secundum eum non dicimur gaudere, sed delectari. Sensus autem interior apprehendit rem et praesentem et absentem. »

Pariter in *De Veritate* q. 25 a. 3: « Cum obiectum sensus sit corpus,

quod est natum movere organum, secundum diversam rationem movendi oportet potentias diversificari ».

In *Summa Theologica* multis modis enuntiatur eadem doctrina; I q. 18 a. 3 exponuntur diversi gradus immanentiae ab actione vitali plantae, in qua una pars movet aliam, ad operationes divinas; sic immanentia sensationis differt ab immanentia intellectionis. — I q. 75 a. 3: « Sentire manifeste accidit cum aliqua corporis immutatione. » Cf. I q. 78 a. 3. Item I q. 78 a. 4: Sensus interni distinguuntur ab externis prout apprehendunt rem « etiam in eius absentia ». — I q. 81 a. 3 ad 3m: « Sensus exteriores indigent ad suos actus exterioribus sensibilibus, quibus immutentur, quorum praesentia non est in potestate rationis ».

I-II q. 15 a. 1: « Est proprium sensus, quod cognoscitivus est rerum praesentium », in hoc differt ab imaginatione et ab intellectu. — I-II q. 35 a. 2 ad 2m: « Sensus exterior non percipit nisi praesens ». — I-II q. 17 a. 7. ad 3m: « Quia ad apprehensionem sensus requiritur sensibile exterius, non est in potestate nostra apprehendere aliquid sensu, nisi sensibili praesente, cuius praesentia non semper est in potestate nostra ».

Denique de *materiali resolutione* cognitionis nostrae intellectualis ad *reale sensatum* pluries locutus est sanctus Thomas, v. g. in IV Sent. dist. 9 q. 1 a. 4 sol. 1: « Cum ergo omnis cognitio intellectus nostri oriatur a sensu, non potest esse iudicium rectum nisi reducatur ad sensum ».

De Veritate q. 12 a. 3 ad 2m: « Quia primum principium nostrae cognitionis est sensus, oportet ad sensum quodammodo resolvere omnia de quibus iudicamus... Quia igitur in somno ligati sunt sensus, non potest esse perfectum iudicium... » — Item ad 3m.

Ibidem q. 28 a. 3 ad 6m: « Intellectus in dormiendo non impeditur quin aliquid percipiat vel ex his quae prius consideravit vel ex illustratione alicuius substantiae superioris... Sed perfectum iudicium intellectus non potest esse in dormiendo, eo quod tunc ligatus est sensus, qui est principium nostrae cognitionis ».

Pariter hoc dicitur II-II q. 154 a. 5 ad 3m.

Unde non potest esse genuina sensatio, distincta ab hallucinatione, orta ex praecedentibus sensationibus, sine reali sensato praesente.

Ita intellexerunt principales Commentatores sancti Thomae. Cajetanus, *In Post. Anal.* c. 13, sic optime explicat quod certitudo intellectualis de valore reali primorum principiorum rationis formaliter resolvitur quidem in eorum evidentia intellectuali, sed materialiter resolvitur in reali sensato. —

Similiter Cajetanus dicit in I^{am} q. 51 a. 2 n. 3: « Visio pure imaginaria terminatur ad obiectum intra, *oculorum vero visio terminatur ad obiectum extrinsecum.* Et ex hoc sequitur alia differentia: quia visum imaginarie, ut sic, solum est in imaginante, et consequenter sibi soli apparet; *visum autem oculis, quia extra videntem existit,* ab omnibus communiter videri potest ». — Item Cajetanus in III^{am} q. 57 a. 6 ad 3^{m}. Cf. infra.

Item JOANNES A S. THOMA, *Cursus Phil. Logica,* q. 22 a. 4 dicit: « Sensus externus debet ferri in rem extra positam », et q. 23 a. 2: « Implicat quod res cognoscatur *sentiendo* et *experiendo sensatione externa,* quae differt ab imaginativa, *nisi attingendo aliquid externum* in seipso et non ut formatum intra se ». Ibidem, *Philosophia Naturalis,* in tres libros de Anima, q. 6 a. 1 et 4.

Generaliter Commentatores sancti Thomae eandem doctrinam tenent v. g. cf. in I^{am} q. 51 a. 2 Bannez, Salmanticenses, Gonet etc.

Pariter hoc intelligunt plerique thomistae moderni, inter quos citari possunt D. Albertus Farges,[6] Eduardus Hugon,[7] Franciscus Xaverius Maquart,[8]

---

[6] *L'Acte et la puissance.* 1909, p. 375-401. Objections tirées de l'hypothèse dite de l'énergie spécifique des nerfs, et celles qui proviennent de l'hallucination. « L'hallucination suppose la vraie perception externe et ne se produirait pas sans elle ». Il faut en dire autant des faits invoqués par les partisans de l'hypothèse de l'énergie spécifique des nerfs. Auctor citat et plene approbat haec verba H. Bergson (*Matière et Mémoire* p. 227, 244): « Nous saisissons dans notre perception tout à la fois un état de conscience et une réalité indépendante de nous ». « Si en effet l'action et la passion ne sont qu'un seul et même acte à deux faces, comme l'endroit et l'envers; et si l'action de l'agent est réellement dans le patient, je dois saisir immédiatement dans le moi l'action du non-moi, lorsqu'elle me frappe. Il est donc parfaitement inutile de chercher le fameux "pont suspendu" aussi impossible à trouver que la pierre philosophale. Il suffit de ne plus séparer ce que la nature a uni: l'action du moteur et la passion du mobile. Ainsi s'explique cette évidence invincible qu'en percevant par les sens le monde extérieur, nous percevons autre chose que des modifications sensibles du moi; ... c'est bien le réel lui-même qui est saisi ».

[7] *Cursus Phil.* T. III *Philos. Naturalis, Psychologia,* p. 270: « Illud quod sensus directe percipit non est species impressa, neque modificatio sensus, sed sensibile externum ».

[8] *Elementa Philosophiae.* T. II p. 260: « Dicendum est sensationem terminari ad obiectum physicum seu ad qualitatem physicam, prout in sensum agit. Actio enim est in passo et sic sensatio terminatur ad qualitatem physicam prout est sua actione in organo sensus ».

Jacobus Maritain,[9] Paulus Gény,[10] Josephus de Tonquédec,[11] Josephus Gredt,[12] etc...

Secundum hanc doctrinam immanentia non dicitur univoce, sed analogice de sensatione et de intellectione. Sic intelligitur, quare sanctus Thomas scripserit I q. 27 a. 5: « Sentire non est totaliter remotum a genere actionum ad extra, nam perficitur per actionem sensibilis in sensum ».

Confirmatio invenitur in diversis articulis Angelici circa visiones et apparitiones praeternaturales.

De visionibus extraordinariis.

Pluries sanctus Thomas tractavit de his visionibus, optime distinguendo visionem corporalem a visione imaginaria et a visione intellectuali. Cf. tabulam auream operum eius ad vocem *visio,* n. 5-16, 21.

Referendi sunt solum principales textus. Initio huiusce articuli citavimus locum III q. 76 a. 8, in quo dicitur de apparitione carnis vel sanguinis vel pueri in Eucharistia: « Quandoque hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione *ac si expresse viderent* exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte sacramenti ». Ita est quando inter testes unus solus hac apparitione gaudet.

Notandum est imprimis quod sanctus Thomas non dicit quod testis iste proprie videt, sed quod « oculi eius immutantur tali immutatione *ac si videret* ».

Unde Joannes a S. Thoma[13] hoc explicat dicens: « Istae apparentiae externae solum possunt fieri dupliciter, aut per elicientiam *visionis externae,* aut per elicientiam *visionis imaginativae,* quae putat seu iudicat se videre externe, quatenus species intus existentes descendunt circa organa sensuum, sive sensus communis, sive sensuum exteriorum, et ab illis mota phantasia putat se videre visu externo », ut in hallucinatione.

Revera ut sit *genuina visio corporalis* deberet esse ad minus externus

---

[9] *Les degrés du Savoir,* p. 229.

[10] *Critica,* ubi de valore sensationis.

[11] *La Critique de la connaissance,* 1929, p. 59 sq.

[12] Loc. cit.

[13] *Cursus Philos. Logica* q. 23 a. 2 in fine.

influxus in organum sensitivum, ut actualis influxus luminosus radii stellae non amplius praesentis. Alioquin est visio imaginaria cum quadam redundantia in sensibus externis, ut in hallucinatione, quae praesupponit antecedentes sensationes, sicut echo praesupponit sonum. Hoc confirmatur ex multis locis Angelici.[14]

Sanctus Thomas enim, dum loquitur *de visioni corporali proprie dicta* prout distinguitur a visione imaginaria, semper dicit eam terminari ad corpus exterius vel saltem ad actionem eius in organum sensitivum. Cf. I q. 51 a. 2: Utrum angeli assumant corpora: « Quidam dixerunt Angelos numquam corpora sumere, sed omnia quae in Scripturis divinis leguntur de apparitionibus Angelorum contigisse in visione prophetiae, hoc est secundum imaginationem. — Sed hoc repugnat intentioni Scripturae. Illud enim quod *imaginaria visione* videtur, est in sola imaginatione videntis. Unde non videtur indifferenter ab omnibus... Ex quo manifestum fit, huiusmodi contigisse secundum *corpoream visionem*, qua *videtur id quod positum est extra videntem*, unde ab omnibus videri potest: tali autem visione non videtur nisi corpus ». Ita generaliter Commentatores sancti Thomae in hunc articulum.

Pariter Angelicus III q. 57 a. 6 ad 3m, de visione quam habuit sanctus Paulus de Christo redivivo in via ad Damascum (Act. IX.) post Ascensionem, dicit: « Christus semel ascendens in caelum adeptus est sibi et nobis in perpetuum ius et dignitatem mansionis caelestis; cui tamen dignitati non derogat, *si ex aliqua dispensatione* Christus *quandoque corporaliter* ad terram descendat, vel ut ostendat se omnibus, sicut in iudicio; vel ut ostendat se alicui specialiter, sicut Paulo, ut habetur Act. IX. Et ne quis credat, hoc factum fuisse *non Christo ibi corporaliter praesente*, sed *aliqualiter apparente*, contrarium apparet per hoc quod ipse Apostolus dicit I Cor. XV, 8, ad confirmandam resurrectionis fidem: « *Novissime omnium tamquam abortivo visus est et mihi* ». Quae quidem visio veritatem resurrectionis non probaret, « *nisi ipsum verum Christi corpus visum fuisset ab eo* ». Cf. commentarium Cajetani in hunc articulum, et commentarium sancti Thomae in I Cor. XV, 8.

Ex his textibus et multis aliis similibus constat quod pro sancto Thoma visio corporalis distinguitur a visione imaginaria prout terminatur ad ipsam rem externam quae sentitur, vel saltem ad influxum realem eius in organum sensitivum.

---

14 Cf. P. J. de Tonquédec. *La Critique de la connaissance.* 1929. p. 485-490. Appendice V. Hallucination, rèves et visions d'après Aristote et S. Thomas.

De sensatione et de hallucinatione.

Ad melius nunc perspiciendum momentum huiusce quaestionis attente notandum est quod est immensa differentia inter genuinam sensationem et hallucinationem sicut inter *proprie videre* aliquid reale actualiter praesens et illud *non videre*, v. g. inter videre Christum redivivum realiter et corporaliter praesentem, ut eum viderunt Apostoli, etiam sanctus Paulus in via ad Damascum, et eum absentem non proprie videre, sed vivide imaginari. Primum probat resurrectionem Christi, non vero secundum.

Etiam non loquendo de factis extraordinariis, agitur non solum de conditionibus *sensationis*, nec solum de eo quod in ea materiale est, sed de eo quod formale est in eius *propria essentia*, quae immutabilis est. Agitur de vera *natura* genuinae sensationis normalis quae resultat ex unione obiecti externi cum organo sensitivo ut a Deo creatum est et ab eo cognoscitur absque ulla fallacia et confusione cum simulacro in hallucinatione producto. Possumus dicere philosopho idealistae: « Plura sunt in caelo et in terra quam in tota tua philosophia ». — Genuina enim sensatio est multo ditior si immediate attingit reale sensatum, quam si illud non immediate attingat. Imo exacte agitur de hac quaestione: *estne possibile* an contradictorium *proprie videre id quod realiter non est*, v. g. proprie videre stellae radium non existentem et proprie audire sonum non existentem? Ne Deus quidem potest facere quod *videam id quod non est*, et quod *tangam id quod non est tangibile*, quia non existit. Destruiturne immensa distantia inter videre et hallucinari, inter proprie videre fratrem, quem plures dicebant mortuum, et de eo hallucinationem habere? Mirum est quod debeamus tam longe defendere veritatem, quae gallice dicitur « vérité de La Palisse ».

Ad hanc magnam differentiam attente notandam, legendi sunt plures textus sancti Thomae, qui merito in hac discussione citantur a P. J. de Tonquédec.[15]

Dicit Angelicus in IV Sent. dist. 44 q. 2 a. 1 sol. 3: « Alii dicunt quod (in caelo) *sensus in actu* fiet per susceptionem *non quidem ab exterioribus sensibilibus*, sed per effluxum a superioribus viribus, ut sicut nunc superiores vires accipiunt ab inferioribus, ita tunc e converso inferiores accipient a superioribus; *sed ille modus receptionis non facit vere sentire*, quia omnis

---

[15] *La critique de la connaissance*, p. 488-490.

potentia passiva *secundum suae speciei rationem* determinatur ad aliquod speciale activum, quia potentia in quantum huiusmodi, habet ordinem ad illud respectu cuius dicitur; *unde cum proprium activum in sensu exteriori sit res existens extra animam et non intentio eius existens in imaginatione, vel ratione, si organum sentiendi non moveatur a rebus extra, sed ex imaginatione vel aliis superioribus viribus, non erit vere sentire.* Unde non dicimus quod frenetici et alii mente capti, in quibus propter victoriam imaginativae virtutis *fit huiusmodi fluxus specierum ad organa sentiendi, vere sentiant,* sed quod *videtur eis quod sentiant.* Et ideo dicendum est cum aliis quod sensus corporum gloriosorum erit per susceptionem a rebus quae sunt extra animam ».

Item sanctus Thomas dicit contra occasionalistas medii aevi in *De Potentia,* q. 3 a. 7 corp.: « Dicebant quod Deus ita statuit, ut iste cursus servaretur in rebus, quod numquam ipse calorem causaret nisi apposito igne, *non quod ignis appositus aliquid ad calefactionem faceret.* Haec autem positio est *manifeste repugnans sensui:* nam *cum sensum non sentiat nisi per hoc quod a sensibili patitur,* sequitur quod *homo non sentiat calorem ignis, si per ignem agentem non sit similitudo caloris ignis in organo sentiendi.* Si enim illa species caloris in organo ab alio agente fieret, tactus, etsi sentiret calorem,[16] *non tamen sentiret calorem ignis nec sentiret ignem esse calidum,* cum tamen hoc iudicet sensus, cuius iudicium in proprio sensibili non errat ».

Eadem doctrina invenitur in *De Malo*[17] et in *Summa Theologica.*[18]

---

16 Deus enim potest producere exterius influxum similem ac ignis, tunc sentiretur calor; si vero non esset influxus externus, tunc non esset vera sensatio, sed apparens sensatio, ut dictum est in textu IV Sent. immediate antea citato.

17 *De Malo* q. 3 a. 3 ad 9m: « Hoc quod *rerum species* vel similitudines non discernantur *a rebus ipsis,* contingit ex hoc quod vis altior, quae iudicare et discernere potest ligatur; ... ita in phreneticis ».

De Malo q. 16 a. 11 corp.: « Dicit Philosophus in libro *De Somno et Vigilia,* c. 3, assignans causam apparitionis somniorum, quod cum animal dormierit, descendente plurimo sanguine ad principium sensitivum, *simul descendunt motus sive impressiones relictae* ex sensibilium motionibus, quae in spiritibus sensibilibus conservantur et movent principium apprehensivum, ita quod *aliqua apparent ac si tunc principium sensitivum a rebus istis exterioribus immutaretur.* Et per hunc modum daemones possunt immutare imaginationem et sensum, non solum dormientium, sed etiam vigilantium ».

18 I. q. 111 a. 3 est idem omnino textus ac in *De Malo* q. 16 a. 11, et ad-

* * *

Concludendum est igitur: sicut intelligentia est essentialiter relativa ad ens intelligibile, scientia ad scibile abstrahendo ab eius existentia, visio imaginaria ad obiectum imaginatum, ita proportionaliter *sensatio est essentialiter relativa ad reale sensatum* aut saltem *ad eius realem influxum* in organum sensitivum, ita ut non possit dari genuina sensatio, ab hallucinatione et a visione imaginaria distincta, sine reali sensato.

Sicut non datur actio transitiva rei externae in organum sensus sine passione ipsius sentientis, ita *sentire* et *sentiri* non possunt seiungi, nec percipere et percipi; et quamvis, quidquid dixerit Berkeley, aliquid possit esse quin percipiatur, ut ea quae sunt in sinu terrae vel maris, tamen *aliquid non potest sentiri et percipi nisi existat,* saltem nisi existat realis influxus eius in organum sensitivum. « *Unus enim est actus sensibilis et sensitivi,* prout actio rei sensibilis est terminative in passo sentiente », ut dicit Aristoteles, *De Anima* l. III c. 2 (426 a 16). Sic certitudo metaphysica de valore reali primorum principiorum, contradictionis, causalitatis, finalitatis, quae *formaliter* resolvitur in eorum evidentia intellectuali, *materialiter* resolvitur absque ullo periculo subiectivismi, in reali sensato, quod est proprium obiectum expe-

---

ditur: « Et tanta potest esse commotio spirituum et humorum, quod huiuscemodi apparitiones etiam vigilantibus fiant, sicut patet in phreneticis et in aliis huiusmodi ».

Cf. etiam indicem operum Aristotelis ad verba: *hallucinatio, echo, eclipsis.*

Pro Aristotele totaliter differt definitio sensationis a definitione hallucinationis, et in utroque casu debemus methodice procedere a definitione nominali, investigando secundum leges venationis definitionis, *veram definitionem realem* et *sensationis* et *hallucinationis*. Hallucinatio autem se habet ad veram sensationem sicut echo ad sonum: hallucinatio enim prius dicitur esse quando aliquis existimat se sentire aliquid, quod alii ibidem praesentes non sentiunt; et deinde invenitur causa hallucinationis sicut causa eclipsis et echus, scilicet *hallucinatio*, sive visualis, sive auditiva, sive tactilis (v. g. post amputationem pedis), *est falsa sensatio orta ex praeteritis sensationibus occasione alicuius perturbationis seu laesionis organismi.* Sic habetur *quid* et *propter quid* hallucinationis, et explicatur quare hallucinatio *sit sine reali sensato*, dum genuina sensatio non potest esse sine reali sensato existenti, ad quod est essentialiter relativa. Hoc est magni momenti hodie contra idealismum.

rientiae. Ut dicit sanctus Thomas *De Veritate* q. 12 a. 3 ad 3m: « Judicium intellectus non dependet a sensu hoc modo, quod actus iste intellectus per organum sensibile exerceatur; *indiget autem sicut extremo et ultimo ad quod resolutio fiat* ».

Sic vitatur scepticismus et idealismus. Ergo, ut optime dicit P. J. Gredt,[19] « superfluum est et impossibile pontem conficere ad transeundum ex subiectivo in transsubiectivum... Realistae critici plurimi inferre nituntur mundum transsubiectivum ope *principii causalitatis*... Sed hoc ratiocinium *impossibile* est propter manifestam inconsequentiam, in qua fundatur ». Remanet enim dubium de valore reali seu ontologico ipsius principii causalitatis, si eius certitudo non materialiter resolvitur in *reali sensato*, non solum apparente sed realiter existente.

Haec est certo traditionalis sententia, et haec sola plene cohaeret cum Aristotelis et sancti Thomae dictis de sensatione et de humana certitudine.

[19] *Elementa Philosophiae Aristotelico-Thomisticae.* ed. 7a 1937, T. II, p. 76.